



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Proprietas voluntatis, sensus, consilij & iuditij, quantis damnis homines afficiat, quiq[ue] eadem per sui abnegationem omnimodam sit extirpenda.
Can. XVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

tiam & bonitatem Dei, & è regione Abyssalem vilitatem nihilcitatatis tuæ, iudicans teipsum ex animo pessimum peccatorem mundi, propter multitudinem vilitatis & ingratitude tuæ, indignum omnibus beneficijs, quæ à Deo, vel creaturis recipisti, vel recipere poteris in æternum: dignum verò omnibus pœnis & opprobrijs. Sicq; submittes te omnibus hominibus, eligesq; tibi infimum locum in cælo & in terra, clamans vt miser ad Dominum: *Deus propitijs esto mihi peccatori: cupiēs etiam contemni, & conculcari ab omnibus.* Hæc humilitas vincit Deum, & capacem te facit omnium gratiarum eius. Heu quis posset sibi arrogare sanctitatem, cum tam arduum incertum & occultum sit sensualitatem & propriam voluntatem verè abnegasse, sitq; sæpenumero sola natura, vnde falsum argumentum sumitur magnæ sanctitatis.

Vt cordis omnis amaritudo per synceram erga omnes homines charitatem extinguenda sit, & quæ & quænam ea charitas exigat.

CANON XVII.

Quintum quod omnes in militia spirituali impedit, est amaritudo cordis, qua nonnulli proclives sunt ad impatientiam, odium, vindictam, & ad aspèrandum cæteros. Hi murmurant contra superiores suos, iudicant & contemnunt proximos, obloquuntur & detrahunt, & omnia venenato oculo, quo ipsi infecti sunt, aspicientes, peruersè interpretantur, Deo & hominibus odibiles. Quocirca, si vnquam volueris proficere, necesse est, vt in Deo omnem proximum diligas, in omni homine imaginem Dei honores, nullam amaritudinem, displicentiamve in corde tuo quiescere sinas aduersus aliquem, sed occurras omnibus vultu sereno, in dulcedine charitatis, in mansuetudine cordis ac benignitate sermonis: paratus omnium onera & infirmitates portare, omnium indigentijs subuenire, omnium offensiones remittere, & in meliorem partem interpretari, neminem iudicare vel contristare, cunctis prodesse & solamen adferre: & generaliter in vniuersos sine personarum acceptione pietatem & miserationem effundere.

Proprietas voluntatis, sensus, consilij & iudicij quantis damnis homines afficiat: quique eadem per sui abnegationem omnimodam sit extirpanda.

CANON XVIII.

Sextum impedimentum in profectu spiritualis vitæ, est proprietas voluntatis, sensus atque consilij. Huic plerique aded innituntur, vt neque Deo audeant se credere ac resignare, neque hominibus: sed sit eis proprietas illa in iudicando Iosuc. 6. ac eligendo quasi basis ac fundamentum, super quod omnia sua ædificant. Quæ quamlibet magna videantur, sætent tamen in oculis Dei. Tu itaque si hoc fundamentum euertas, corruent pariter in te omnes muri Hiericho, id est, defectus vniuersi. Fundamentum perfectæ abnegationis qui iaccaduta. Quapropter aliud fundamentum tibi iacias necesse est, videlicet plenam ac perfectam tuipsum abnegationem qua temetipsum exear & relinquant, atque sine retractione cordis in beneplacitum Dei resignes, voluntatem eius cum mentali

Yyy compla

complacencia medullitus amplectens, ac hominibus propter Deum in omnibus licitis obedias, tutissimè confidens eius bonitati, quæ omnibus qui se corde & corpore tradunt & credunt, eidem vbique adest & prouidet in prosperis & aduersis, etiam minimis sua ineffabili prouidentia, melius quam ipsi vel optare possent. Quæcunque igitur tibi eueniunt, non ab homine aut creatura aliqua, sed immediatè à Deo, tanquam de manu prouidentia eius accipias: & hoc æquo imperturbatoq; animo, ac supra vicissitudines rerum humanarum eleuato, atque per amorem in Deum fixo, nihilo magis optans prospera quam aduersa, donec omnis proprietatis & iudicij tui in te funditus moriatur.

De intellectu profundi, curiosi & superbi nocuentis: qui que idem simplificandus sit: quo item omne humanum studium, lectio librorum & scientia referenda sint.

CANON XIX.

Septimum præpediens hominem à spiritali profectu, est studium immoderatum quo intellectus occupatur circa nudas speculationes, & ubi neque deuotio, neque inflammatio affectus queritur, sed lectio aut propter seipsum, quia oblectat, aut propter scientiam tantum frequentatur. Qui eiusmodi sunt efficiuntur vani, inflati sensu suo, præsumptuosi & steriles affectu, qui de spiritu quidem loqui sciunt, sed nihil gustare meruerunt.

Studium & lectio librorum quo referenda fiat.
1. Cor 2
In passione Christi quenam cõtemplanda.

Tu autem non idèd legas, vt doctus habearis, sed deuotus efficiaris. Semper arbitrare te nihil scire, nec aliud optes scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Si Christum bene scis, satis est, si cætera nescis. In huius vita & passione continèd te exerce, contemplando quæ patitur, vt condoleas: quomodo patitur (id est mores & virtutes) vt imitari studeas: & quare patitur, vt charitati eius ipsum redamando, respondeas. Crescat in te iugè desiderium, vt possis pro modulo aliquo domino tuo conformari, sustinendo longanimiter & patienter quæcunque aduersa tibi imponere dignabitur, iuxta omne beneplacitum suum.

Mentis humanae impuritas, instabilitas neglectusque quam sit cuique nociuus: quomodoq; eadem reformanda & in Deum eleuanda sit.

CANON XX.

Octauum quod omnes impedit quo minus in spiritu proficiant, est neglectus interioris hominis, instabilitas cordis, nimiaq; libertas mente euagandi. Inde fit, vt cor depictum varijs idolis, diuinas inspirationes non aduertat, nec se ad Deum leuare illiq; adhærere quæat. Tu verò euagandi occasionibus omnibus sepositis, imaginationes, formas, similitudinesq; rerum ac rememorationes dictorum & factorum omnes, quantum possibile est, excludas: & collectis animi viribus intra te ipsum in silentio & quiete spiritus habites, vt mundo purificatoq; intellectu ab imaginibus, & libero ab omni creaturæ affectu, eleuata quoque ad Deum